

LYCAON ET ACINONYX

QUALIA SINT GENERA BESTIARUM

angl. cheetah - theod. Gepard - hisp. guepardo - ital. ghepardo - fr. guépard - ngr. γατόπαρδος

Quod nomen Latinum oportet imponamus bestiae mammali omnium velocissimae? Helmodus Leitner Cuvierum zoologum Francogallum illustrem secutus nomen bestiae Plinianum, quod est "lycaon, -onis m.", refert ad eandem felem velocissimam, quam denominare nobis cordi est:

Leitner, Helmut: Zoologische Terminologie beim älteren Plinius. Hildesheim (Verlag Dr. H.A. Gerstenberg 1972, p.160, s.v.
Lycaon:

| Textus originalis | Versio Latina |
|--|---|
| «Dieses von Plin. 8,123 genannte Tier ist auf Grund der knappen Beschreibung nicht eindeutig zu bestimmen: „Mutat colores...nec aliud...nisi in Indis lycaon, cui iubata traditur cervix.“ Steier vermutet den Hyänenhund, Lycaon pictus, Desm.; diese wolfsgroßen Hunde wohnen in den afrikanischen Steppen südlich der Sahara. Plin. gibt aber Indien als Heimat des „lycaon“ an. Die Bestimmung von Cuvier als asiatischer Gepard, Felis iubata = Acinonyx iubatus = Cynailurus iubatus, Brehm, ist daher wahrscheinlicher; der | «Haec bestia a Plinio (8,123) memorata cuius generis sit, propter descriptionis brevitatem non definitē determinari potest: „Mutat colores...nec aliud...nisi in Indis lycaon, cui iubata traditur cervix.“ Steier opinatur eandem bestiam esse <i>Lycaonem pictum</i> , Desm.; canes huius generis habitant in tenebris Africanis, quae sita sunt in ad Sahare meridiem. Itaque verisimilius est <i>Cuvierum genus huius bestiae rectē determinasse</i> : qui sentit “lycaonem” Plinianum esse <i>Acinonychem iubatum</i> (= <i>Felis iubata</i> = <i>Acinonyx jubatus</i> = <i>Cynailurus iubatus</i> Brehm); |

1 cfr Wikipedia <http://de.wikipedia.org/wiki/Gepard>: «Der Gattungsname *Acinonyx* kommt aus dem Altgriechischen und besteht aus den Wortteilen ἀκίνητος akínetos „unbeweglich“ sowie ὄνυξ ónyx „Kralle“).

2 „Die Pfoten tragen dicke, schuppige Sohlen; die Krallen sind nur bedingt einziehbar (daher der Gattungsname)“, i.e.:

| | |
|---|--|
| Gepard besitzt am Nacken längere Haare als am übrigen Körper, womit auch die Angabe bei Plin. „iubata cervix“ übereinstimmt.» | eadem enim bestia in cervice est pilis longioribus quam reliquo in corpore; hoc congruit cum verbis Plinianis quae sunt: „iubata cervix“». |
|---|--|

PLIN.nat. VIII, 123 Mutat colores et Scythurum tarandrus nec aliud ex iis, quae pilo vesiuntur, nisi in Indis lycaon, cui iubata traditur cervix.

Ex verbis Helmodi Leitneri concludendum est non satis certê inveniri posse, cuius generis sit ille lycaon Plinianus. Itaque praeferendum esse videtur nomen scientificum, quod est *a-cinonyx. Hoc nomen significat: “qui est unguibus immobilibus”(gr. ἀκίνητος «immobilis» + ὄνυξ, G.sg. ὄνυχος «unguis»¹: Etiam sensus huius nominis in symbolâ Wikipedianâ explicatur²: „Pedum plantae sunt crassae et squamosae; falculae vix possunt averti (inde nomen genericum)». Plinius unguis pardorum, pantherarum, leonumque appellat „falculas“.

Quomodo hoc nomen (non antiquum) in casûs declinandum est? Sequamur exemplum verbi “onyx” antiquum: onyx, onychis, onychī, onycha, onyche, pl. onychēs, onychum, onychibus, onychas, onychibus.

Ergo nomen bestiae modernum oportet sic declinetur:

acīnonyx, acīnonychis, acīnonychi, acīnonycha, acīnonyche, pl. acīnonychēs, acīnonychum, acīnonychibus, acīnonychas, acīnonychibus.

(*Lineolis, quas vocalibus supposui, indico accentum verbi, superpositis quantitatatem vocalis*).

Ecce Acinonyx jubatus, i.e. iubā ornatus ! Huius bestiae cervix capillis est longioribus quam reliquum corpus; itaque bestia dicitur iubatus esse.

Nomen lycaonis etiam a zoologis modernis adhibitum est, sed spectat ad genera canum vel potius familiae canidarum. Ecce eorum imagines e symbolis Wikipedianis excerptas:

Lycaon pictus

Canis lupus lycaon

In mythis Graecorum **Lycaon** rex fuit Arcadiae, filius Pelasgi atque Meliboeae, qui secundum genus mythi notissimum voluit Iovis omniscientiam divinam eo experiri, quod ei ad mensam apparavit carnem filii sui proprii mactati. Iuppiter autem ut hoc scelus immane puniret, Lycaonem mutavit in lupum (gr. λύκος est i.q. lupus) et Lycaonis quinquaginta filios necavit fulminibus innectis, excepto Nyctimo, qui antea a patre mactatus a Iove redanimatus erat. Ecce imaginem Henrici (Hendrik) Goltzii Batavi pictoris et aenipictoris (1558-1617).

Haec hactenus de LYCA_{ONE} et de ACIN_{ONYCHE}.

Lectrix benevola, Lector benevole, pancratice vale et perge mihi favere.

Medullitus Te salutat

d.09. m.Sept. a.MMXII
scripsit

Nicolaus Groß



LEO LATINUS